Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 783
Quelle:
Copyright:

tem hominem futurum. cesset epicurus qui testatur ad uicem eorum. cesset nefandissima secta saduceorum que resurrectionem negat. cesset aristotiles pariter et manes similis eorum qui dicunt corpus esse fantasma &c.

XXIII. *fol.* 67. sequitur alia manu exaratum *Diplomatarium*, seu *Epistolare* quod sequentia complectitur: *1°. Epistolam Symmachi Papae ad Theodorum sancte lauriacensis aecclesię archiepiscopum*, quae incipit: *Diebus uitę tuę pallii usum* &c. *Theodorum* hunc inter Episcopos *vagos* seu *regionarios* censet *M. Hansizius* T. I. *Germ. Sacr. Coroll.* 2. et 5. Epistola data inter an. 498 — 514. legitur ad calc. *Chronici Reichersperg.* editi *Monachii* per *Cph. Gewoldum* 1611. p. 5. 4. *2do. Epistolam Agapiti Papaę ad Gerhardum sanctę lauriacensis ęcclesię archiepiscopum*, quae incipit: *Peticiones tuas pro renouandis siue approbandis ecclesie tue priuilegiis* &c. *Gerhardus* obiit a. 946. aut 47. *Agapitus* a. 946. sedem conscendit. Epistola legitur post *Chron. cit.* p. 13. *3tio. Epistolam Eugenii* (II.) *Papae ad Rathfredum sanctę fauianensis ęcclesię, methodium speculiiuliensis quae et ouguturensis* (ed. Soriguturensis) *alchuuinum nitrauensis, annonem vetuarensis episcopos*; item *Tutundum* et *Moimarum duces hunię quę et auaria dicitur. atque marauię.* Incipit: *Desiderio salutis animarum uestrarum filii in christo karissimi* &c. Data intra an. 824 — 26. legitur *Chron. cit.* p. 17. *4to. Epistolam Hattonis* (I.) *presulis mogontiensis ecclesie ad Papam*, qui fuit *Johannes* IX. nuntiatur enim illi mors *Arnulfi* Imp. quae in an. 899. incidit *Johannis* secundum. Mirum tamen videri possit mortem *Arnulfi* e *Germania* in *Italiam* nuntiari, cum is in *Italia Firmum* obsidens extinctus sit. Incipit: *Nouerit igitur sublimitas sanctitatis uestrę quod nulla fratrum unanimitas* &c. et legitur *Chron. cit.* p. 20. *5to. Epistolam Leonis Papę Junioris*, i. e. VII. *ad Gerhardum sanctę lauriacensis ęcclesię archiepiscopum.* Incipit: *Si pastores ouium solem geluque pro gregis sui custodia* &c. Scripta an. 937. ut *Hansiz. cit.* qui eam p. 191. totam refert, non tamen e *Gewoldo* p. 6. neque e nostro *Cod.* cum ab utroque in minutiis quibusdam differat. *6to. Epistolam* Ejusdem *Leonis ad Reges, duces, episcopos, abbates, comites, egilolfum iuuauiensis, isingrimum ratisponensis, lantbertum frisingensis, uuisundum sebonensis ecclesie episcopos et ceteros per galliam, germaniam, bauuariam, alamanniam commorantes.* Initium: *Si instituta ecclesiastica ut sunt a beatis apostolis tradita* &c. Scripta intra an. 935 — 39. quibus sedit *Egilolfus.* Extat *Chron. cit.* p. 8. sed confer etiam *Hansizii* T. II. p. 147. et I. p. 192. *7mo. Epistolam theotmari iuuauensis, Ualdonis frisingensis, Erchanbaldi eistatensis, Zacharię sebanensis, Tutonis radisponensis, Richarii patauiensis ęcclesię episcoporum ad iohan-*